

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Detractio ac  
cum uariis

Detractores autem quodam simulate uerecundie fucō conceptam maliciam quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas a detractore alta premiti suspiria, sicque cum quadam grauitate et tarditate, uultu mesto, demissis superciliis et uoce plangenti, egredi maledictionem; et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab hiis qui audiunt, corde inuito et magis condolentis affectu quam maliciose proferri. Doleo, inquit, uehementer pro eo quod diligo eum satis et nunquam potui de hac re corrigere eum, et alias michi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me nunquam innotuisset. Ac quoniam per alterum patefacta res est, ueritatem negare non possum; reuera ita est.

Bernardus super Cantica sermone XXIII.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

uideas] uideat (*cor. intra*) B; suspiria] supiria L<sup>1</sup>; corde] non *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; inuito]  
inuido B C P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; et] sed V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; condolentis] condolenti P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; est *om.* C